PROPOSITIO-
NES TENTA-
TIONVM: SIVE PROPAE-
DEVMATA DE VITIS ET
FAECVNDITATE COM-
poſitorum naturalium: Quæ
ſunt elementa chymica.

Animæ rationali ſanè
ſapienti, Genio Lectoris
dicta, dicata.

Authore TIMOTHEO WILLISIO
Anglo, Londinate, Medico.



LONDINI
Excuſum per *Iohannem Legatt.*
1615.

Concedatur verū, quod istis disputo.
Permagnas tam certè mereor gratias,
Cui primus monstraui latentem semitam
Nullis, aut perpaucis prius si perdiam.
Quod si fortassis, non quibusvis haec ego
apparentem, verbose et apte sat probo,
Hoc vere illis respondeo, ille quaerere
quē non affirmo, at verba tam sit disputo.



Animæ rationali ſanè ſapienti, Genio lectoris.

QVod ſingularem nullum tutorem ad patrocinium huius categoriæ aſciuerim, duo potiſſimùm in cauſa fuerunt. Nam neque ipſe hæc vehementer affirmo: neque illis quenquam aliter aſtipulari volo, quàm prout opinionis libertas induxerit. Opinionem cum dico, fidem non requiro: ſunt enim Tentationum propoſitiones. Audacter ideo nimiùm feciſſe videri iure poſſim, ſi quod ipſe probabiliter tantùm ratiocinor, aliis defendendum exponam. Altera verò cauſa eſt in rei ipſius poſſibilitate. Fortaſſe enim euentus experimenti huic opinioni fidem præſtabit, probali-

babilitatemque veritate demõſtratiuâ coronabit. Quod ſi contingat, tum veritas ipſa eſt optima ſibi patrona, firmiſſima tutela. His ſi tertiam addidero cauſam, quæ eſt diuerſorum capitum diuerſi ſenſus, & præiudicium circa poſſibilia, omnes cauſas dixero. Neque enim recte conſultus exiſtimari poterit, qui alium ſuæ deſipientiæ ſocium, multo magis patronum prælo commiſerit, in re non creditâ, pro impoſſibili habitâ, vtcunque in ſe aliter certâ, & multis authoribus indubitatæ fidei confirmatâ. Hæc autem mihi ſic ſe habere videntur. Neque vlla eſt in antiquis ab antiquiſſimis philoſophantium aut ſophorum ſiue ſecta, ſiue ſchola, quæ non poſſit non nimis inuita in noſtræ opinionis claſſes deduci. Harum Propoſitionum vberiores declarationes iam diu nobis ſcriptæ, lucem aliquando viſuræ, continentur in Tractatibus de inueſtigatione cauſaram: de poſſibili perſe-

perfectione miſcibilium ; aliiſque noſtris commentariis : ſed fuſiſſimè, & apertius ad vſum practicum in commentatione ecphraſtica ad Gebri libros de chemia. Rogatus aliquando à Minerali amico Thoma Ruſſello *Sudoſexio, dum venam argentariam apud illam magnæ Britanniæ partem, quæ eſt Scotia, repertam, nuper in arce Londinenſi experiretur, primumque probandarum venarum metallicarum tyrocinium exerceret, ſcripſi de arte probatoriâ, & declamationem quandam, Quòd Boreales regiones ſint auri & argenti feraces. In illis aliquid huc conducens continetur.*

Occaſio huius incudis ortum habuit in vmbrâ arboreti æſtiuos mulcente ſoles. Contigit enim poſt deambulationem conſeſſus virorum aliquot muſis amicorum. Inter quos, ne bonæ horæ malè perderentur, poſt varias theſium variarum

delibationes, huius ſubiecti argumenta Lunæ nobis ſuper induxerunt cornua. Mihi autem, qui negando non fui, quia eſſe non debui tot, tantis, tam doctis, tam amicis, id negotii datum eſt, quod has progenuit Tentationum propoſitiones. Hi id à me peruicerunt, vt premi tentarentur, vtcunque à me ſupprimendæ arguerentur. Vicerunt illi. Ego victus illas fortunæ, & geniorum varietati ſecurus committo. Vos verò, quibus arriſerint, illas intelligere, ſanéque in his ſapere: quibus exploſæ fuerint, illas non intelligere, nec ſanè in his ſapere, ſi ſenſero, illud omne, rogo, meæ condonetur mediocritati: veſtræ aſcribatur ſiue facilitati, ſiue ſeueritati. Religioni fides debetur: legibus obſeruantia, & obedientia. In artibus & ſcientiis alia eſt libertas, multæ academiæ: opinio nulli debet obeſſe in opinabilibus: qualia ſunt propoſitiones ſyllogiſmorum præ-

miſſæ

missæ omnes, quarum conclusiones quæsitæ ad praxim aliquam diriguntur. Multæ autem sunt ad vnam, eandemque metam viæ. Qui aliter sentit, sibi opinionem suam opinatur. Ego sic sentio, donec aliter edoctus perdidiscero, cui gratia sententiæ sanioris sit habẽdæ. Quod vbi cognouero, agnoscam certè illam, & habebo. Candor candorem meretur, candore rependitur. Fœlicibus sic auibus prodite propositiones, geniosque tentate: nulli noxiæ, nulli obnoxiæ ingenio. Vobis vos pertinaciter constare nullæ profitemini. Aliàs parentelæ vestræ propagines expectate vigiles, si benè, vel non malè, saltem non pessimè vobis successerit.

Spiritus vnus inest, agitante calescitis ipso.
Vt fratres, quorum est vnus & vna parens.

Ex Leucadelphia,
4. Calend. Iul. 1615.

Paucos qui festinantem excusoris diligentiam fugerunt errores, sic corrigito.

In fronte Inscriptionis, lin 3. lectorios, lege lectores: pag. 7. lin 10. per quem, lege per quod: p. 8 l. antepenult. originis, lege origines: p. 9. l. . metalli, lege metalla: p 21. l. 15. solus. lege solius: p. 31. l 16. obviam, lege obvium p 37 & 38. propositione 84. legatur sic: perpendentes latere non potest. Experientia quinimo, &c.

Typographi errores si [illegible], alter ab illis,
vel liber est totus, vel mihi nullus erit.
Cum alii fuerint, nec causam dixerit, ipsum
hunc esse errorem, quis mihi iure negabit?
Quem nihil affirmo, non credo: forte meliori
Hec alii poterunt, certius ut doceat.



PROPOSITIONES *TENTATIONVM*, SIVE PROPÆDEVMATA DE VITIS & fæcunditate *compositorum* naturalium, quæ ſunt elementa chymica.

I.

DEVS à naturâ mortali cognoſci non poteſt: agnoſci poteſt & debet.

2.

Principium primum ſapientiæ humanæ eſt à Deo agnito.

3.

Principium ſecundum ſapientiæ humanæ eſt a ſe cognito.

Prin-

4.

Principium tertium ſapientiæ humanæ eſt à creaturâ cognitâ: vt ex viſibilibus cognitis ad inuiſibilis Dei agnitionem ducatur, & ad eundem cognoſcendum deſiderio æterno excitetur.

5.

Deus dupliciter conſideratur. 1. Abſtractè. 2. Relatiuè. De Deo abſtractè conſiderato humana ratio nihil cognoſcit. Nihil itaque diſputare audebit: ſed religioſo ſilentio ipſum admirari, ſuſpicere, colere, &c. Deus Relatiuè conſideratus eſt Creator. Hinc creationis, & creaturarum diſpoſitiones. In quibus inchoat, & in quas terminatur noſtra Philoſophia.

6.

Præter Deum nihil eſt, quod

initium eſſendi non habuerit: Quodque ante tale initium prorſus non fuerit, tam quoad eſſe, quàm quoad exiſtere, phyſicum, Mobile, &c.

7.

Omnium rerum materia vniuerſaliter prima ſimul & ſemel ex nihilo præ-exiſtente creata eſt.

8.

Illa materia vniuerſaliter prima eſt chaos, ſiue abyſſus informis antiquiſſimorum Philoſophorum; & in ſacra Geneſi dicitur Cœlum & Terra: inane & vacuum, abyſſus tenebroſa ex terra & aquis coalita, ſuper quarum faciem Spiritus Domini ferebatur.

9.

Tota creata hypoſtaſis ſiue creatura materialis, in duo diuiſa eſt. 1. In partem viſi-
bilem

bilem: quæ duo constituit elementa magis corporea, Terram & Aquas. 2. In partem invisibilem, quæ duo itidem constituit elementa, magis spiritualia, Ignem, & Aerem. Hinc quatuor elemẽta Philosophorum.

10.

Elemẽta hæc abyssata in chao, mutua acceperunt, & dederunt Symbola, mutuas dotes, mutuas Potentias, mutuas facultates & sementes: Animarum (de Imagine Dei non loquor) & vitarum potentias habentia à latione Spiritus Dei super ipsorum faciem.

11.

Separata postmodum elementa non fuerunt abstractè, definitè, peripateticè simplicia: sed elementata, animata, vitalia, seminibus vitalibus fæcunda.

Hinc

12.

Hinc potentiæ ad genera distincta, ad ſpecies diſtinctas: ad ſementificationem prolificam per Indiuidua, ad conſeruationem ſpecierum & generum, per multiplicationem Indiuidorum. Hinc materia Philoſophiæ prima: Hinc materia & forma Phyſicorum: hinc genus & differentia Logicorum.

13.

Duo ſunt abſcondita, vtraq; reuelanda. 1. Vnum gratiæ. 2. Alterum ſudoris. Illud eſt Deum cognoſcere, Fœlicitas poſt funera. Hoc eſt cognitio creaturarum. Hæc in ipſis obuijs, in terrâ naſcentibus, in Terram, Aquas, Aerem incolentibus difficilis; Rixarumq; plena. Multò itaq; magis in ſubterraneis, quorum obſtetri-

cationes

cationes nemo hominum vidit vnquam, vlteriùs quàm rationis ductu inuestigando assequi probabiliter potuerit.

14.

Hinc locus, & suus honor experientiæ, empiriæ, atq; experimentis : vt ab effectibus sensibilibus demonstratio cognitionis ad causas vel omnino certas, vel minimè incertas, vel maximè probabiles perueheretur scientificè. Hinc illud, *Ars longa, Vita breuis.*

15.

His medijs statuta naturæ sanctio innotuit. sc. Nullũ corpus cõpositum certæ speciei, certi generis existere absque vitâ suâ, animâ suâ (analogum animæ, ad differentiam magis sic apparentis, aliqui dicunt) semine suo, naturâ suâ, fæcũditate suâ ad speciem suam in naturâ suâ.

Vitarum

16

Vitarum triplex eſt claſſis & conſideratio. 1. Simplex. 2. Relatiua. 3. Reſpectiua. Vita ſimplex eſt ad hoc ipſum indi- 1
uiduum quod viuit, abſque relatione, vel reſpectu. Sic vnumquodque eſt ſibi proximum, immo ſolitarium: ad ſe ſolum vitam viuit ſuam: Illam ſibi præſeruat, ad vltimos prædeſtinationis ſuæ terminos. Sic non nimiũ abſonâ ſolitudinis metaphorâ Mineralia poſſunt dici Eremitæ ſubterranei. Vita Re- 2
latiua eſt ad ſpeciem: *Creſcite, & multiplicamini*, vnumquodque in ſpecie ſuâ. Naſcitur indignè, per quod non naſcitur alter. Hinc appetitus naturales ad ſui perpetuitatem. Hinc varia centrorum genera. Hinc amores minerales, vegetabiles, animales, rationales. Hinc ſemina

mina cuique rei indita ſtatis temporum,& maturitatum periodis, opportunitate datâ, potentiarum ſuarum actus in ſcenam mundanam explicant. Hinc inter eccentrica inimicitiæ, incongruitates,odia,bella. Hinc ſympathiæ, & antipathiæ, tantæ in amore Philoſophorum. Ab hac legis, poſt incubitum tenebroſum, ſilentioſum,& vim lationis ſpiritus Dei ſuper faciem hypoſtaſis vniuerſalis,Sanctione,nunquam prouocabit aliqua ex mixtis naturalibus ſpecies. Vita Reſpectiua eſt indiuidui cuiuſpiam ad ſuæ ſpeciei, & aliarum ſpecierum indiuidua, quoad vſus neceſſarios in alimentis, medicamentis,iuvantibus, nocentibus,&c.applicatio. Hinc artium origenes : Inventionum, obſervationum, experimentorum, tentationum myriades:

riades: ſudor vultus. Sic terra propter ſe, propter mineralia in ſe: propter plantas & animalia extra ſe. Sic Mineralia propter ſe, in ſe, mutuas in ſe vices: propter terram: propter aquas; quæ terræ ſinus occulit, homo experimentator aperit: propter plantarum, animalium nutrimenta, medicamenta, alioſque ad vſuras hominum vſus. Sic plantæ in multis ſibi inuicem commodæ ſunt & incommodæ, ſuamque agunt rempublicam, ſuâ reguntur Politiâ etiam in montibus inuiſis, ſolitudinibus inacceſſis: eædem extra ſe mineralibus inſeruiunt, animalia nutriunt, curant, ornant, ſuſtētant, fouent, reficiunt. Sic animalia eundem gyrum gyrant, ad ſe, extra ſe, ad homines, plantas, mineralia, terram. Hinc victus, veſtitus, medicamenta, ſtercorationes,

ſalia, &c. Homo tandem horum omnium curam agit, ijs inſudat, ſudoremque ſuum ad ſe, ſe autem ipſum ad Deum Creatorem refert. Hinc triumphus chymicus, Gloria Georgica, honor Iatricus, Magnificentia mechanica, Rerumque omnium cyclopædia.

17.

Corporum Phyſicorum, ſpecificè prolificorum, quædam non habent matricem ſeparabilem, quædam verò habent, in generationibus vniuocis.

18.

Quæ non habent matricem ſeparabilem, eorum ſemina non poſſunt quouis artis miniſterio extra vterum proprium ad generationis perfectionem proferri. Talia ſunt omnia animalia,

malia vniuocè generata, non ovipara.

19

Quæ habent ſeminibus ſuis retinendis matricem ſeparabilem, poſſunt arte ad perfectionem in ſuâ ſpecie generationis promoueri: vt plantæ, volatilia ovipara, Aquatica quædam, Amphibia plurima, &c. Nam licet illarū ſemina, ſurculi, &c. poſſunt vtiliter & fœcundè ad germinationem, & radicum pullulationem ſeri, ſeminari: horum ova alio calore, quam matris propriæ incubatu animari, perfici, excludi: Tamen vtriſque teſta ſua, ſpermaticaq; materia verum ſemen prolificum circumueſtiens & continens, eſt propriè matrix: Non terra, non cineres, non arena.

20.

Huius generis matricalium

ſunt Mineralia : eſt autem hoc ipſo alia plantarum conſideratio : Nimirum, quatenus cum mineralibus cõueniũt in ſexuum indiſcriminatione. Hoc enim commune eſt omnibus generibus, & ſpeciebus, quorum indiuidua non habent motum localem, habentque hæc omnia matrices ſeparabiles : Poſſuntq; artis miniſterio naturæ famulantis in loca matricibus fouentibus & nutrientibus opportuna transferri, fæcunditateſque ſuas exoluere, nõ minus, immo multo magis, quam de ovis per certa & multiplicia conſtat experimenta. De his verum eſt, quod dicit *Ariſtoteles*, Non referre vtrum generationes fiant in vaſis naturalibus, an artificialibus.

21.

Elementatorum motus, mutationes, maturationes, generationes,

rationes, transſmutationes fiunt per & propter elementa ſua: elementorum per & propter qualitates ſuas: qualitatum per & proprer formam directricem, quæ eſt compoſiti intrinſeca, dirigens ad ſpeciem.

22.

Omne elementum compoſiti phyſici eſt elementatum, & compoſitum, quintæ eſſentiæ tam vniuerſalis, quàm ſubalternæ, & particularis particeps. Id eſt, ſpeciei ſui compoſiti appropriatum, quamdiu eſt in naturà ſuâ. Eorum elementorum actio & paſſio, eſt in ſe, ad ſe, in ſpecie naturæ generabilis. Sic homo generat hominem, equus equum: Pyrus ſementat Pyrũ, lactuca lactucam. Quicquid diu ſteterit cum ſale fit ſal. In inſula *Cypro* æs vegetabile *Ariſtoteli* cognitum, & aſſer-

tum: Item aurum vegetabile. Horum demonſtratio dependet à primo motore ſpecifico, & eſt ignis in centro: cuius radiatio ad ſuperficiem eſt compoſiti perfectio. Vnde quot modis & medijs poteſt hic ignis ad motum ſuum ſecundum curſum naturæ ſuæ excitari, & in eodem conſeruari, tot modis & medijs poteſt compoſitũ perfici, & perfectio promoveri. Adeoque propter impedimentorum accidentia, & magiſteriorum adiumenta, vix quidquam in phyſicis alterationibus eſt omnino aut impoſſibile aut neceſſarium.

23.

Omne elementatum compoſitum per mixtionẽ progreditur, & perficitur: quâ calor naturalis, & ſpiritus ſpecificus inſitus per omnia potentiarum

media

media in actum vltimum promouentur.

24.

Mistionis duæ sunt species. 1. Simplex. 2. Composita: secundum quas corpora dicuntur, vel simpliciter mixta, vel mixta composita.

25.

Simpliciter mixta corpora sunt quorum tota perfectio est ex compositione, & mistione. Talia sunt mineralia, vt metalla, & metallica, totaque subterraneorum œconomia.

26.

Mixta composita sunt, quæ præter hanc perfectionem, quam habent ex compositione & mistione, aliam vlteriorem ad suæ speciei complementum porro habent. Talia

ſunt vegetabilia, zôôphyta, animalia.

27.

Miſti compoſiti compoſitio, quæ eſt ſecundùm naturam, eſt debilior quàm miſti ſimplicis: Perfectio autem maior, & perfectiuum nobilius: Nimirum ſecundùm Animam, ſcilicet, notabiliter per organa operantem, per facultates ſuas apparentem

28.

Miſti ſimplicis compoſitio eſt fortior & firmior, ſed perfectio minor, & perfectiuum ignobilius, ſcilicet ex miſtionis modo.

29.

Miſtorum compoſitorum eſt generatio & corruptio vera, per putrefactionem, augmentationem, nutritionem, &c. Et hæc ſenio contabeſcunt, viciſſitudine nutrimenti conſeruātur,

tur, & propagatione perpetuantur.

30.

Miſtorum ſimplicium non eſt eiuſmodi generatio & corruptio, ſed tantùm miſtio per coctionem, vel coctio cum miſtione, abſq; Phyſicâ nutritionis appoſitione, cum totius compoſiti conuerſione per coctionem, & miſtionem: ſicut in fermentatione paſtæ farinaceæ: & hæc ſenio non contabeſcunt, propagatione tali non perpetuantur; ſed abſq; excrementitij alicuius ſeparatione in ſuis locis cum mortali mundi immortalitate fixa perdurant.

31.

In ſimpliciter miſtis, innatâ vi ad ſpeciem dirigente ſuppoſitâ, perfectio eſt proportio, Miſcibilia proportionis, qualitates miſcibilium, & vltimò Miſtio: quæ ſequitur ex illarum

rum qualitatum ad inuicem actione, & passione: quæ est aggregatio illarum primarum qualitatum.

32.

Quorum tria prima, sc. proportio, miscibilia proportionis, & qualitates miscibilium sunt causæ specificationis, & formarum differentium in omnibus mineralibus; vltimum est causa perficiens cuiusq; speciei in suâ indiuiduali existentiâ: nam mistio non est primariò ex qualitatibus elementorum, sed ex motu generantis, mediantibus qualitatibus actiuis.

33.

Mista simplicia, minùs, & per pauciores differentias seu terminos, siue angulos (vt loquuntur, Plato chymicus, & Hamech) remota sunt à simplicitate elementorum: & in his aliud alio minus: minimè omnium,

um, ex constantibus & fixis metallis: & in metallis illa adhuc minimè, quæ maximè homogenea sunt, & maiorem argenti viui quantitatem sunt continentia.

34.

Quæ per pauciores terminos, siue differentias remota sunt à simplicitate elementorum, simplicissimâ consistunt formâ, vix differente a temperamento.

35.

Et illa forma educitur ex potentiâ materiæ.

36.

Modus educendi est coctio.

37.

Causa est actio & passio primarum suarum qualitatum ad inuicem in tali materiâ, & tali coctione. Suas dico qualitates: quia qualia elementa, tales qualitates: elementa autem omnia

sunt

ſunt in ſeminibus elementata, ſpecificata, ad ſpeciem per ſuas qualitates, vi ſeminis ſpecificâ dirigente agentia, ſi non impediantur.

38.

Perfectio eorum eſt miſtionis finis: Finis eſt actus vltimus:(non loquor de fine externo: vt domus pro habitatore) Actus vltimus eſt forma in formato. Forma eſt ex miſtione: Miſtio per coctionem: ergo in his perfectio, & actus vltimus eſt ex miſtione. Et hoc eſt primum principium, & fundamentum Artis naturæ administrantis in debitâ materiâ, proportione miſcibilium, & adminiſtratione cauſarum agentium externarum.

39.

Coctio quo temperatior (paritate in materiâ, & cæteris requiſitis ad opus naturale ſuppoſitis)

positis) & diuturnior, eo fiunt elementa magis subtilia; qualitates acutiores, actiuiores; mistio perfectior, magis fixa: Forma subtilior. Non magis forma, sed magis subtilis: vt in animâ fatui & prudentis.

40.

Coctio reiterata per resolutionem coagulati, & recoagulaonem resoluti, est causa maioris subtilitatis in actu vltimo: & hæc est exuberatio, & multiplicatio virtutis.

41.

Simplex mistio vel est actus naturæ solius: vel est actus naturæ arte adiutæ.

42.

Actus naturæ solius est prima mistio desinens in prima naturali specificâ simplice perfectione.

43.

Actus naturæ arte adiutæ est

eſt ſecunda, tertia, quarta, &c. Miſtio, deſinens in ſuo gradu ſecundo, tertio, quarto, &c. ſc. exaltatæ ſeu exuberatæ perfectionis naturalis, ſpecificæ, ſimplicis: & reputatur infinita quoad potẽtiam naturæ: & eſt coctio reiterata ad exuberationem per ſolutionem, & coagulationem.

44.

Metallum eſt corpus minerale, fuſibile, malleabile, ad omnes dimenſiones ductile, &c. Simpliciter mixtum, à naturâ ſolâ productum, & in actu ſuo conſtitutum miſtione ſimplice primâ: Perfectibile in maiore ſubtilitate eiuſdem actus per naturam arte adiutam in miſtione ſimplice ſecundâ, tertiâ, quartâ, &c. ſpecifice exuberatâ.

45.

Metalla differunt ſpecie: & quodlibet eſt in ſuâ ſpecie perfectum.

Diffe-

46.

Differentia metallorum ſpecifica eſt ex propriâ cuiuſque formâ.

47.

Perfectum & imperfectum in metallis dicitur, non reſpectu ſpecierum & formarum ſpecificarum, ſed reſpectu communis eorum materiæ diuerſimode affectæ, & appropriatæ in actione & paſſione, ſeu obedientiâ & reſiſtentiâ, quoad noſtram intentionem. Quæ materia communis poteſt etiam dici generica, & vocari materiale genus, vel generica materia.

48.

Metalla omnia habent eandem genericam materiam, in quam omnia & ſingula ſunt reſolubilia : & hæc materia in vnaquaq; & qualibet ſpecie (intelligẽdo vnumquodq; eſſe

in

in ſua ſpecie purum) eſt perfecta vel imperfecta ſecundum modum miſtionis, quæ ſequitur mēſuram & gradus coctionis, & temperaturam regiminis in cauſis agentibus,&c.

49.

Quodlibet metallum intelligitur duas habere formas: Potentialem, vel genericam, propriam genericæ, ſeu communi materiæ, quæ eſt in omnibus indefinita. Hinc naſcitur, & eſt potentia tranſmutationis, quâ quodlibet metallum in quodlibet æquâ & promiſcuâ metamorphôſi tranſmutari poteſt,& argētum vivū in vnūquodq;. Altera forma eſt ſpecifica, quæ actu eſt: & eſt perfecta in quolibet in ſuâ ſpecie: ſed quoad noſtram intentionem ſolummodo in auro, & argento.

Specifica

50.

Specifica auri forma, nascitur, seu educitur ex potentiâ materiæ per coctionem: & est tota pura, homogenea: sicut est totius cõpositi tota substantia.

51.

Aliorum metallorum cuiuslibet forma educitur ex potentiâ materiæ per coctionem: quæ forma est impura, heterogenea: sicut totius compositi substantia etiam est, quæ est aggregata ex heterogeneis substantiis. id est, ex materiâ genereâ, purâ, homogeneâ, æqualiter fixâ in suo gradu cuiusque speciei: & ex specificâ materiâ impurâ, heterogeneâ: non fixâ, vel non æqualiter fixâ, genericæ superueniente in primâ mistione, ipsamque inficiente, & specificante in differentes specificas perfectiones ab illo actu, quem nos per excellenti-

am prærogatiuæ dicimus per- fectionem, quæ auro inest.

52.

Hæc superueniens heterogenea materia est in primâ coitione elementorum mineralium mixta & vnita in radice cuiuslibet metallorum eorum, quæ dicimus imperfecta. Quæ procedente coctione corpus acquirit, & concorporatur cum communi metallicâ materiâ in verè vnum idem essentiale completum compositum.

53.

Superueniens hæc materia, à primâ mistione inhærens, in radice mixta & vnita tàm altè materiam communem infecit, quòd separari ab eâ, & auferri non possit, absq; medicina eradicante, & transformante: hoc est, cõpositum transpecificante.

54.

Heterogenea superueniens materia, in radice non sic mix- ta,

ta,& vnita,ſed quæ procedente coctione corpus in compoſito efficitur, vel cum compoſito concorporatur ,tolli & ſeparari per artificium poteſt abſq;hoc, quod compoſitum tranſpecificetur.

55.

Quâ materiâ ſuperueniente, non in radice mixtâ & vnitâ, ſublatâ,remanebit ſola materia, ſeu pars ſubſtantialis cuiuſlibet metalli tranſmutabilis, & elixirabilis

56.

Vnumquodq; metallum poteſt reſolui in materiam coctibilem,coagulabilem.

57.

Quæ materia duplici cõſideratione conſiderari debet.Primò ſecundùm materiæ actũ: ſecundò, ſecundùm eiuſdẽ potentiam.

58.

Conſiderata ſecundũ actum præſentem, ſic eſt vnius certæ ſpeciei definitũ, & determina-

tum indiuiduum: quod per debiti vnicuiq; in operatione regiminis coctionem, poteſt reduci in priorem ſuam ſpecificam perfectionem, ſimplicem, vel exuberatam.

59.

Eadem conſiderata ſecundùm potentiam materiæ, eſt quid indefinitum, indeterminatum, nullius certæ ſpeciei: ſed indiuiduum vagum, definibile, determinabile in quamcunque ſui generis proximi ſpeciem, per tranſmutationem animatiuam.

60.

Et proinde metallorum tranſmutatio eſt epicæna, promiſcua, reciproca, cuiuslibet in quodlibet, in potentiâ naturæ infinitè circuibilis, reducibilis, &c.

61.

Ergo omnium, & ſingulorum metallorum pars tranſmutabilis,

tabilis, & exuberabilis, eſt ſolum illa communis omnium materia,& eſt metallorum mercurius,ſeu argentum vivum.

62.

Et quia actus vltimus, ſeu perfectio cuiuſq; ſpeciei in indiuiduis per coctionem producitur : ergo coctiora ſunt perfectiora, & coctiſſima, perfectiſſima: modò omnia fiant ſecundùm curſum naturæ. ſc. in vtroq; termino. Id eſt,reſolutione, & coagulatione.

63.

Et quia coctio coagulat, & coagulatum poteſt reſolui, & reſolutum recoagulari, hæc talis materia neceſſariò erit perpetuò coagulabilis,reſolubilis,recoagulabilis, &c. in perpetuo circuli motu.

64.

Et hoc eſt fundamentum practicæ multiplicationis anti-

quorum: In virtute solùm absque appositione materiæ nouæ: In virtute, & quantitate simul cum appositione, seu additione pluris materiæ.

65.

Quo minus aliquid in quauis specie huius generis abest, seu deficit ab vltimâ possibili perfectione exuberatæ subtilitatis in suâ specie, eo citiùs & faciliùs potest in eadem perfectione sisti, & perfici.

66.

Ergo facilius & breuius erit opus ad exuberatam perfectionẽ auri in auro, quàm in quovis alio: & in auro solo, quã misto: quia ipsum sibi est propinquissimũ. Et omnis auri impuritas, & imperfectio est pagamentũ quoddam: Id est alterius, vel aliorum metallorum admixtio.

67.

Hinc patet Iudiciũ & veritas de mixturis corporũ, spirituum, calcium:

calcium : mercuriorum,&c.

68.

Et quandoquidem vltima perfectio eſt vltima, ſeu maxima ſubtiliatio, exuberatio quæ perficit, etiam ſubtiliat: & ſic breuius & facilius erit opus in exuberato, quàm in non exuberato: & ſic in magis exuberato in omni gradu.

69.

Et quia ſubtiliatio eſt præparatio ad ſolutionem, ſequitur, quòd corpus exuberatum ſit facilioris ſolutionis, quàm non exuberatum: & exuberatum magis,& maximè,faciliorīs,& facillimæ ſolutionis.

70.

Et hoc eſt fundamentum multiplicandæ virtutis, Aquæ permanentis, & omnium eſſentialium menſtruorum, & menſtrualium chymiſophorũ. Nam quod coagulatum fuit menſtruum reſolubile, poſt ſo-

lutionem fit menstruum solutum & soluens: & hoc in perpetuo circuli motu, pro inexpleto materiæ appetitu, semper alterabile, corruptibile, regenerabile, &c.

71.

Et quia in hâc reductione perfectio est ex mistione per coctionem, Mixtum in coctione reductum erit corpus secundùm meritum materiæ, sc. secundùm veram eiusdem radicalitatem, & miscibilia proportionis, sc. vel homogeneum, purum, &c. vel heterogeneum, impurum, &c. secundùm intentionem nostram.

72.

Et, quia solius auri materia est simpliciter homogenea, respectu aliorum metallorum, Quicquid à materia auri heterogeneum in composito fuerit commixtum, seu additum, efficiet

ciet compositum, quo minus sit purè aurum, simplex, vel exuberatum: nisi in canonicis animationibus.

73.

Et, quandoquidem aurum est Anima & Animans, siue Animator omnis metallicæ materiæ, si ipsum sit in compositione, seu mixturâ, vincet & convertet totam massam compositi in aurum, magis vel minus, secundum proportionem, Regimen coctionis, & causarum agentium. Hinc animationes canonicæ.

74

Quòd si in primâ coctione tota illa massa materialis non reducatur in perfectionē quæsitam, ex defectu vel non satis aptâ ratione proportionis, regiminis, adaptationis materiæ præparatæ, præparãtis, præparatiuæ, disponentis, &c. Tamen

men per eandem rationem in iteratis coctionibus tota perficietur,& reducetur.

75.

Et ſicut in aurum perfectionis ſimplicis primò reducitur: ſic,per eiuſdem operis iterationem, maiori coctione canonicâ fiet aurum pluſquàm perfectum,exuberatum, elixiratum, proiectibile. Nam ſicut parum, ſic minus, & minimum: ſicut magnum,ſic maius,& maximũ in eadem ſpecie, materiâ, modo,iiſdem cauſis,&cautionibus ſemper ſequetur.

76.

Ergo aurum ſolum eſt ſola, vnica, & ſimpliciter neceſſariò requiſita natura, & materia lapidis, ſeu elixiris maioris aurifici.

77. Quod ſi alterius cuiuſcunq; ſpeciei metallũ aliquod, per præcedentes artis præparationes

tiones, ſupra auri ſubtilitatem ſubtilietur, (nam aurum in ſuo primitiuo corpore ſubtilius eſt quovis alio metallo, in ſuo primitiuo corpore,) Tum tale metallum, ſic ſubtiliatum, ſeu attenuatum, quodcunq; fuerit, cõuertet, & transſpecificabit aurum in metallum illius (ſic ſubtiliati) ſpeciei.

78. Et ſic de ſingulis metallis in conuerſione actiuè & paſſiuè intelligere debemus.

79. Ergo omnia metalla ſunt ſubtiliabilia, attenuabilia, elixirabilia: & poſſunt ſingula reciprocè quodlibet in quodlibet conuerti.

80. Et, quia ſubtiliatio eſt ex coctione, cum conſeruatione ſpecificæ eſſentiæ: & coctio deſinit in coagulatione: & nihil metallicum eſt coctibile, & coagulabile, cum conſeruatione ſpecificæ eſſentiæ metallicæ,

licæ, nisi pars mercurialis, in mercurium resoluta: sequitur, quod solummodo mercurius metallorum est exuberabilis.

81.

Ergo vltima præparatio chirurgica desinit in mercurizatione: & prima præparatio, seu operatio philosophica incipit in mercurio: & totum philosophicum mysterium peragitur & reuelatur in mercurio.

82.

Vltima perfectio, quamuis formæ attribuatur per intellectum abstrahentem ipsam à materiâ, tamen realiter est totius compositi concreti ex materiâ & formâ per qualitates elementales: quæ sunt formæ in suis actionibus instrumenta, quatenus forma est principium motus interni: sed compositi instrumenta, quatenus ipsum totũ agit, patitur, & perficitur.

Et

83.

Et ſic quando dicuntur qualitates acutiores, & ſubtiliores, & forma acutior, intelligimus totum compoſitum eſſe ſubtiliatum, & attenuatum, & propinquius ad vltimæ poſſibilis perfectionis gradum accedere.

84.

Vnde ſequitur, quòd in chirurgicis præparationibus, Nulla debeat eſſe partium ſeparatio: animarum, ſpirituum, oleorum, aquarum. &c. extractio: ſed totius compoſiti reſolutio, cũ conſeruatione naturæ, et ſpecifiæ eſſentiæ. Cuius iudiciũ in auro facile, & obuium eſt. Quandoquidem tota ipſius ſubſtantia eſt mercurius, & tota in mercurium reſoluitur eodem prorſus pondere. ſed hoc ſenſui non eſt æquè peruium in reliquis: quamuis intellectu, & ratione rem perpendentibus

Experientia quinimo, effectuq; verissimum comprobatur, specificantia heterogenea in radice, in primâ mistione vnita non posse vere separari per vllam artis præparationẽ, absq; medicinâ transformante, &c. quomodocunq; materia mercurialis videatur, aut sit mercurius.

85.

Doctrinæ propositionum 73, 74, 75, innititur, & ex eâ dependet fundamentum, & ratio chymici Magsterij in totâ chrysopœiâ, & argyropœiâ: itidem operis vniuersalis in omni exuberatione, quotiescunq; repetitâ: item operis particularis in omni genere transmutationis, per cementationes siccas vel liquidas, graduationes, separationes, extractiones, fixationes, animationes: & mineræ multiplicabilis, reducibilis, non proiectibilis, in albo

&

& rubeo. Siquidem concoctio, digeſtio, fermentatio, maturatio perficit omnia in omnibus naturalibus compoſitis, quatenus compoſita.

86.

Sic tota doctrina, magiſteriũ & praxis huius operis eſt:	Solue, *C*oagula, Reitera.	tere, coque, & ne te tædeat.

87.

Solue per opus manuale, & abſq; manibus: coagula per coctionem in philoſophorum Athanore, igne ſuo: Reitera per vtrunque.

88.

Cæterùm, quod attinet novum Maium, ſecundũ mundũ ex inuitrificabili ſale repullulaſcentem, Legito, Intelligito, Recordator, Practicato: Ipſâ manuum ad opus applicatione

tione exercetor.

89.

Ita eris non Archimageiros in ædibus *Gebri*, verum Primarius in arce *Hermetis* œconomus, ſuper tabulâ ſmaragdinâ rationes ſummarum tuarum ſupputans, veras, ſine mendacio, certas, veriſſimas.

Sic mihi hactenus videtur.

FINIS.

HADES Look'd into.

The POWER of Our Great SAVIOUR Over the Invisible World, and the Gates of Death Which lead into that WORLD.

Considered, In

A SERMON

Preached at the Funeral of the Honourable, *Wait Winthrop* Esq;

Who Expired, 7 d. IX m. 1717.

In the LXXVI Year of his Age.

By C. MATHER, D D. & F. R. S.

CHRISTE potens rerum redeuntis conditor ævi,
Vox summi sensusque DEI, quem fudit ab alta
Mente Pater, tantique dedit CONSORTIA REGNI.
Claud. *de Christ. Servatore.*

BOSTON: Printed by *T. Crump*, 1717.